

„et immediate, qua dicit negationem operis immediate et primo
 Deo debiti, tamen quatenus dicit contemptum mediorum ad
 nostram salutem destinatorum; “ a qua sententia Wölfliniana
 nihil differre existimo leges circa Evangelium. Duriora au-
 “ tem sunt, quae sequuntur in argumento II. et III. ubi ipsum
 „Evangelium dicitur lex, quod obedientia proprie dicta Evan-
 „gelio praestatur, et Evangelium cum vi obligandi conjun-
 ctum, Verum Autorem hunc Evangelii vocem in latiori &
 minus proprio accipere significatu patet ex sequentibus, ubi ad
 obiectionem Amesii, *si Evangelium lex esset, minaretur inobe-*
dientibus poenas, quod vero est bonum nuncium, respondet:
 „Lusus est in termino cum legem Evangelicam dicimus, in-
 „telligimus totum pactum novum Evangelicum, id quod de-
 „nominatur Evangelium a parte potiori. „ Re ipsa consentit
 Refutator, quando in Respons. ad arg. II. statuit, obedientiam
 „Evangelicam non esse obedientiam proprie et stricte sic di-
 „ctam, sed in sensu lato, quo designat quoque admissionem et
 „receptionem voluntatis divinae de Christo revelatae. „
Arcte enim inhaeret Evangelio stricte sic dicto, et allegata
 etiam e Rom. I. 5. *obedientia fidei egregie confirmat nostras*
leges circa Evangelium,

§. XIII.

Hist. Controv.
Treuener.

Tandem ad illam venio controversiam, quae huic opellae
 atque meditationi occasionem praebuit. Non prolixus ero in
 recensione ejusdem, cuius Acta Originalia inspicere mihi ante an-
 nos viginti licuit, atque excerpta, partim a B. Parente meo
 Dn. Io. CONR. FEVERLINO Antistite t. t. Nördlingensi, partim
 a me facta adhuc asservo. Potiores tantum breviter recenze-
 bo circumstantias, B. D. IOH. PHIL. TREVNERVS t. t. Senior
 Ministerii Evangelici Augustani ediderat Augustae a. 1708. Pri-
 mitias Augustanas, quibus Poenitentiam aliquam, stricte sic di-
 ctam,